

1173, abril, 20

*La comtessa Brunissendis d'Empúries fa donació, a Sant Daniel, del mas que habita Guillem Firma Colades, situat a Verges.*

ASD núm. 37, perg. orig., 95 x 210 mm.

Sit notum cunctis quoniam ego Brunisendis comitissa, consilio et uoluntate filii mei Poncii, propter remedium anime mee et uiri mei Poncii Ugonis, comitis Impuritanensis ac parentum meorum, bona animo ac spontanea uoluntate dono Deo et cenobio Sancti Danielis et tibi Maria abbatissa et amni conuentui eiusdem laci ipsum mansum quem habeo in parrochia Sancti Iuliani de Uirginibus quem inhabitat Guillemus Firma Colades, cum omni sua mansata et cum omnibus tenedonibus suis, scilicet cum terris, uineis cultis et incultis, pratis, pascuis et omnibus adempramentis que ad eundem mansum pertinent, et cum uniuersis habitatoribus suis et cum omnibus sibi qualicumque modo pertinentibus; et de meo iure in ius et dominium Sancti Danielis et uestrum illum trado cum omnibus supradictis et cum censu et seruiciis et usaticis omnibus, sicut melius ad utilitatem predicti cenobii intelligi potest, ad alodium francum perpetim habendum et possidendum, solide, libere et quiete sine uinculo ullius uiuentis. Aduenit enim mihi supradictus mansus per donacionem quam fecit mihi supradictus filius meus Poncius. Quam donacionem et tradicionem si quis infringere temptauerit non ualeat, sed pro sola presumptione omnia uobis et Sancto Danieli et suis in dupla componat, et insuper iram Dei incurrat et cum luda Schariot particeps fiat, hac scriptura et donacione firmiter omni tempore permane<n>te.

Actum est hoc .xrr. kalendas mai anno .XXXVI. regni Ledouici regis iuniori<s>.

Sig+num Brunisendis comitisse, sig+num Poncii filii eius, sig+num Iusiane comitissa, sig+num Poncii, filii eius, qui hoc fieri iussimus, firmauimus firmarique rogauimus. Sig+num Raimundí Felon. Sig+num Ferrandí. Sig+num Berengarii Bertrandi. Sig+num Guilielmi Eriballi.

(s. *man.*) Bernardus leuita, qui hoc rogatus scripsi die annoque prefixo.

Extret de: Marquès, Josep M., ed. Col·lecció diplomàtica de Sant Daniel de Girona (924-1300). Barcelona: Fundació Noguera, 1997. 127